

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dan. Stalii Regulae Philosophicae explicatae & Orationes aliquot**

**Stahl, Daniel**

**Jenae, 1662**

Regula XI. Quiquid praedicatur de toto, praedicatur etiam de parte

**urn:nbn:de:bsz:31-102400**

## REGULA XI.

*Quicquid predicatur de totò, prædicatur etiam de parte.*

I. Quod dupliciter potest intelligi I. *de quâlibet parte*, quod scilicet id, quod de totò prædicatur, de omnibus prædicetur partibus. Hòc sensu cum nonnulli accipiant, probari inde posse credunt, animam non creari, sed per naturalem generationem propagari, ita colligentes: *Homo habet orems per generationem. E. & anima rationalis.* Consequentiam probant, quia *quod dicitur de totò, dicitur etiam de quâlibet parte.*

II. Nonnulli hòc utuntur argumentò: *Quicquid non denotat naturam à partibus distinctam, de eò nihil potest prædicari, quod non competat partibus.*

*Totum non denotat naturam à partibus distinctam, nihil enim aliud est totum, quam partes simul sumptæ.*

*E. de totò nihil potest prædicari; quod non competat partibus.*

III. II. Potest intelligi saltem *de aliquâ parte*, nempe: *Quicquid predicatur de totò, de aliquâ saltem predicatur parte.*

IV. Verùm non tantùm primus, sed etiam secundus sensus est falsus. Homo enim  
textit,

textit, ædificat, &c. at dicere, *animam texere aut ædificare*, pro absurdò ducit Aristoteles *I. de animâ cap. IV. t. 64.* Ita de homine prædicatur animal, & tamen nec anima nec corpus, nec ulla corporis pars animal est. Ita homo moritur, & tamen nec anima nec corpus propriè moritur, cum mors sit interitus totius viventis. Ita propositio est vera vel falsa, & tamen nec subjectum nec prædicatum verum est vel falsum. Triangulus etiam habet tres angulos, nulla tamen pars trianguli habet tres angulos.

V. Quapropter Regula re&u;us sic posset formari: *Non omne id, quod prædicatur de toto, prædicatur de omnibus partibus.* Imò; *Non omne id, quod prædicatur de toto, prædicatur de aliquâ parte.*

VI. Volumus autem ista intellecta de *toto integrali & essentiali physico*, de quibus etiam instantiæ *preced. §.* adductæ solum loquuntur. *Totius universalis*, ut & *essentialis Logici*, alia est ratio. Quicquid enim de illò prædicatur, prædicatur etiam de partibus subjectivis, juxta ea, quæ dicuntur *in Reg. II. Disp. seq.* Et quicquid prædicatur de specie, tanquàm totò essentiali logico, prædicatur etiam de genere & differentiâ tanquàm partibus, sicut partim ex *Reg. preced.* constat, partim ex dicendis *Disp. seq.* constabit.

VII. Ad rationem §. II. facile est respondere, siquidem quilibet videt, Regulam nostram loqui de *partibus seorsim* seu *divisim sumtis*. Queritur enim, non, an omne, quod toti competit, competat partibus simul sumtis? sed, an competat cuilibet, vel saltem alicui seorsim sumta? A mediis terminus est conceptus de partibus simul sumtis: unde negatur Major. Quid enim hoc ad partes seorsim sumtas, quod totum non differt, nec denotat naturam distinctam a partibus simul sumtis? Quod si dicant illi, qui argumentò istò utuntur, se loqui de *partibus singulis seorsim sumtis*, tunc negatur minor: totum enim aliud est, quàm singulæ partes.

## REGULA XII.

*Positis omnibus partibus, ponitur totum.*

I. *Positis omnibus partibus, secundum esse absolutam, non statim ponitur totum: quemadmodum etsi sint lapides & ligna, omnisque materia ad domum ædificandam requisita, nondum tamen domus est. At positis partibus formaliter sive inesse partium, ponitur totum.*

II. *Dicis: Si vel maximè lapides & ligna, quæ domus partes sunt, sint inter se unita, sed sine discrimine, ponuntur quidem*